beati ambrosii qui incipit summe sacerdos ab eo loco quo scriptum est tu
dixisti ore tuo sancto et benedicto usque in fine orationis eiusdem. Hec enim sunt
verba spiritu sancto vere docente composita plena fide et desiderio: quibus in
frigore contracta corda possit accendi. deiecta erigi: debilia corroborari.
Hec autem scribendo non legem pono communicantibus. sed bona propono quibus
simpliciores uti possunt. quibus meliora non fuerint revelata.
Nunc iam ad considerandos sacre communionis effectus animum convertamus.

Primus effectus de venerabili sacramento

Primus utilis sive effectus sacre
communionis digne communicantibus. et per predictos gradus ad sacri
altaris communionem accedentibus ut michi videtur est remissio
peccatorum. Unde Jeronimus. Christus in calice transformat vinum et aquam in sangui-
nem suum. aquam ad abluendum sanguinem ad redempcionem. et beda in omelijs.
Quomodo Christus peccata mundi tollat, inquit, quo ordine instituat ipsos:
apostolus petrus ostendit qui ait. Non corruptibilibus auro et argento re-
dempti estis. de vana vestra conversatione paterne tradicionis. sed precioso
sanguine agni quasi immaculati et incontaminati ihesu christi. Et in apocalipsi
scribit beatus iohannes apostolus eius et ewangelista qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris
in sanguine suo. Non solum autem lavit nos a peccatis nostris quando sanguinem suum
dedit in cruce vel unusquisque nostrum misterio sacro sancte passionis illius baptismo
aque ablutus est. verum eciam tollit peccata mundi lavaturque nos a peccatis nostris cot-
tidie in sanguine suo. cum eiusdem beate passionis ad altare memoria replicatur.
cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis eius ineffabili spiritus sancti
sanctificatione transfertur. sicque corpus et sanguis non infidelium manibus ad perniciem
ipsorum funditur et occiditur. sed fidelium ore sua sumitur in salutem. Ibidem verba expri-
mit sacerdotis sacram communionem porrigentis cum dicit corpus domini
nostri ihesu christi proficiat tibi in remissionem peccatorum et in vitam eternam. Dimittuntur autem
per sacram communionem peccata venialia. quorum numerus superaret numerum arene
maris: nisi tam salutari remedio divine misericordie cottidie delerentur. et si sint a-
lia multa remedia. istud universa precellit tum quia ipsum sacramentum dignius
est et efficacius est ad delenda cottidiana peccata. tum quia in eo condigne

quomodo lavat corpus christi a peccatis

peccata venialia dimittuntur

comunicato plurimaque alia occurrunt remedia. videlicet contricio et dolor de pre
teritis. largior lacrimarum effusio. timor de pena. spes de venia: desiderium
amoris ad suscipienda sacramenta, propositum satisfactionis et abstinendi a
peccatis: confessio purior solito. et cetera talia que singula prevalent veniam operari:
sed universaliter indigne communicante non venire videntur.

Secundus effectus est sanitas anime et corporis. De anime infirmitate
satis patet quod peccata sunt infirmitas. sicut dicit psalmista. mise
rere mei domine quoniam infirmus sum: et alibi. non est sanitas in carne
mea a facie ire tue. Si in quantum peccatum infirmitas sunt dimissis et sana
tis peccatis. sequitur sanitas consequenter. Unde per contrarium de indigne
communicantibus dicit apostolus. Qui manducat panem hunc et bibit calicem
domini indigne iudicium sibi manducat et bibit non diiudicans. id est non dis
cernens ab aliis cibis corpus domini. Cum vis enim quis ebriosus sit aut
avarus aut invidus aut adhuc peccare peccata carnalia vel spiritua
lia proponens. non timet tamen ad mensam domini sic accedere et comedere
panem suum. Quod si aliquis tali consciencia non mutata. per penitenciam et pro
positum emendandi ad cibum sacre communionis accedat: racione iniusticie pu
Nota nietur et contaminacione duplici conteretur. Unde subiungit apostolus: Ideo inter
vos multi infirmi in corpore. et imbecilles in anima: et dormiunt multi. Sed
dicis. Si ita se habet res non decet communicare. Quid ergo vis. Vis ut tam
infideli quam fideli mundo pariter et inmundo diligenti pariter et odium retinenti:
tam inpenitenti quam penitenti equaliter prosit ad sacram communionem
accedere: et per tanta sit iniquitas apud dominum: Absit. Cum potius au
di. Aut iustus es aut peccator. Si iustus es nichil quod timeas: secure
accede. Si peccator agnosce peccatum tuum. confitere peccatum tuum. satisfactio
nem promitte et clama ad dominum salvatorem. Quoniam iniquitatem meam ego cog
nosco. averte faciem tuam a peccatis meis. etc. que precedunt et que secuntur
et siliquis porcorum. id est delectacionibus inmundis incipe reverti ad patrem
tuum dicens ei ex toto corde. Pater peccavi in celum et coram te: iam non sum dig
nus vocari filius tuus. Et ille non expectans ut per satisfactionis perfectio
nem ad ipsum pervenias. oculis misericordie sue videbit te adhuc longe existentem

te: et tunc gratulabundus occurreret et stringens te amplexibus caritatis: et
osculum reconciliacionis tibi imprimens: in domum suam in consorcium ecclesie et sto-
te adduceret: et carnibus vituli saginati, unici filii sui domini ihesu christi, pro nobis
in ara crucis immolati te reficeret, et vulnera omnium tuorum sanabit. Solus ab
hoc convivio ab hiis gaudiis nupcialibus sit exclusus, qui se iustum repu-
tans dicit se mandatum patris numquam preterisse et invidens fratri qui mortuus propter peccatum
fuerat et revixit per penitenciam ipse impenitens et superbus non patri rogan-
ti nec fratri reminiscenti vult aliquatenus congaudere, ignorans quod dominus non
sacrificium sed misericordiam requirit, qui non venit vocare iustos sed peccatores. Si
ergo iustus vocari non indiges, si peccator, ecce vocaris, ecce in vitiis, tan-
tum ne tardes venire ad patrem tuum, ut carnes agni immaculati come-
das: et sanguinem eius bibas ad anime et corporis sanitatem. Nisi enim man-
ducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem: non habebitis
sanitatem in vobis. Nam ut scias quod corporis sacramentum et sanguis christi
tam corpori proficit quam anime: sub duplici totus christus sumitur sacramento scilicet pa-
nis et vini. Panis convenit corpori, vinum anime. Immo ut melius dicam
et verius corpus competit corpori, sanguis anime, quia sedes anime ut dicit phi-
sicus in sanguine est. Hoc autem tenendum est quod in corpore domini eciam est sanguis
et corpus in sanguine: immo in utroque totus est christus. Nam et si sin-
gularibus verbis panis convertatur in corpus, et vinum in sanguinem domini
ihesu christi, tamen quia corpus christi non est sine sanguine, nec sanguis sine corpore, illa
unicione corporis et sanguinis ipsius fit, ut utrumque sit ubique quod non est
factum virtute verborum, tamen singulariter consecratur utrumque. Indicavit
ergo christus in duplici sacramento panis et vini ostenditur quia ipse tam
corporis quam anime est sanitas et salvator et peccata tam carnalia quam
spiritualia peccata sanans. Ipse est qui totum hominem sanum fecit. Si autem queris
quare aqua vino eciam misceatur in calice, audi eusebium sic dicentem.
Dominici sanguinis vinum miscendum est aqua, non solum tradicione domini, sed
eciam genere passionis monstravit: ex cuius sacro latere sanguis et aqua
lancee illisione profluxit. Quod et propheta multo ante premisit dicens: percussit
petram et fluxerunt aque. Per aquas autem significari populos sacris

capitur eloquijs. sicut legimus. Aque iste quas vidisti populi sunt et gentes et
lingwe. Aduertimus in aquis figuram gencium demonstrari. in vino autem san
guinem dominice passionis ostendi: ac sic dum in sacramentis aqua vino miscetur
fidelis populus christo in corpore et iungitur. et quasi dam ei copula perfecte caritatis vnitur.
vt possit dicere cum apostolo. Quis nos separabit a caritate christi. Nos itaque vt sa
nitatem anime et corporis. per corpus et sanguinem domini consequamur. iudicemus dis
tricte nos metipsos. vt non iudicemur a domino: et sic in spe mie et gratie ipsi co
municemus dicentes ex intimo corde cum beato ambrosio. Panis sancte
. panis munde. qui de celis descendisti et das vitam mundo: veni in
cor meum et munda ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in
animam meam. sana et sanctifica me interius et exterius. Esto continua salus
et tutela anime et corporis. Dicit idem alias. Qui vulnus habet medicinam requirit.
Vulnus habemus quia sub peccato sumus: medicina est celeste sacramentum et venera
bile. per si cottidie accipis. cottidie tibi hodie est. Qui enim sepe pecco: semper debeo
habere medicinam

sine

Tercius sacre communionis effectus est custodia ~~sive~~ munimentum. Est bona
sanitatem sequitur custodia. sic dominus ab ipso etiam corporaliter sanatis dixisse
legitur. Vade et amplius noli peccare. Et unicuique manifestius dixit. Ecce iam
sanus factus es vade et iam amplius noli peccare: ne deterius quid tibi contingat.
Quid enim prodest consequi sanitatem. et sanatum vulnus iterum mortaliter innouare.
Quod tamen de venialibus non est intelligendum. quia licet ea animam non occidunt maxime
si non ~~fiant~~ ex contemptu: qui etiam leuia peccata grauia facit. Sic ergo ~~trabs~~
~~fiat defectum~~ cum per saluatorem nostrum sanitatem fuerimus consecuti. omni
custodia seruemus cor nostrum. custodiam cordis nostri pane celesti diuini
corporis. et vino sacro sancti sanguinis ipsius cottidie muniamus vt possi
mus obsidionem continuam spiritualium hostium sustinere: orantes cum beato am
brosio et dicentes ad dominum. Per virtutem tanti misterij. et per manum sancti an
geli tui repelle a me et a cunctis seruis tuis durissimum spiritum superbie et
cenodoxie. inuidie et blasphemie fornicacionis et inmundicie dubietatis et
diffidencie. Confundantur qui nos persequuntur pereant illi qui perdere cuncta festi
nant. Isti sunt principes huius mundi. rectores tenebrarum harum. nequicie spiritualis

rectores

fiant
defectura

les in celestibus, id est in hoc aere, qui cottidiano primo continuo nobiscum luctantur.
Quam cum dominum ihesum xpistum per virtutem sacre communionis in cordibus nostris habita-
re perspexerint, et urbem cordis nostri pane sacri corporis et vino domini
sanguinis esse communitam, perfecto tremunt et ad expugnandum eam amplius accedere
formidant et si temptaverint pugnante domino confunduntur. Quartus fructus

Quartus fructus est fortitudo. Optimis enim cibis refecti merito con-
fortamur. Hic est panis confortans cor hominis et per consequens etiam corpus
sed spiritualiter utrumque confortat: cor ut resistat temptacionibus, unde et corpus ad
resistendum concupiscentiis que militant in membris nostris, in cordis fortitudine
confortatur. Et quid mirum si vivo pane dei, primo pane deo, totus homo con-
fortetur, cum etiam pane terreno et cor confortetur et corpus. Sine me inquit quo intelligatur
ipse dominus ihesus: nichil potestis facere. Nichil in quam quod debeat proficere ad salutem. Sine me nichil
Quomodo sine adiutorio salvatoris quisque aliquid salutare valeat operari. potestis facere
Quomodo autem habeant adiutorium salvatoris, qui tanta ipsius gratia
uti noluerint, ut sacramentum vere corporis et sanguinis ipsius careant, assumere
certo modo videre non possum. Sacerdos enim qui in officio sacerdotii contemp-
serit per superbiam vel neglexerit per accidiam ministrare, qui ipso pre-
suspectione iam vivit. Qua fronte comedit panem corporis, qui non curat fronte.
comedere panem cordis. Qua cogitacione manducat panem labo-
ris, qui non vult comedere panem omnis delectacionis. Foris faciaris in-
tus in edia consumeris. Foris confortaris intus ~~marcescis~~: foris vi- marcescis
vivis vis intus mortuus es. Redeamus prevaricatores ad cor et vel componamus
omnes nomine sacerdotii vel ex eterna ex [illegible]. Similiter et tu qui religio-
nis nomen habitum et professionem suscepisti si in certis ad communicandum
constitutis temporibus eucharistiam detrectas accipere invenis irrationabi-
les rationes quibus quasi defensa a vero defensore te subtrahis,
ne corporis sanguinisque eius communices, quod queso excusacionis preten-
dere poteris, ne ad spirituales et spirituales nuptias sponsi tui introeas?
Forsitan oleum leticie testimonium bone conscientie non habes: et ideo tardas
ad nuptias regales intrare. Sed cave ne dum tu oleum leticie tue ab adu-
latoribus tuis mendicas et dum tu illos ad vendendo [illegible] ab ipsis decipi-

no[ta] p[ro] tal[i]ter … de curia ad s[an]c[t]am

peregrinationis

no[ta]

no[ta] p[ro] clerici

eris: veniat hostiarius clausurus ianuam thalami nuptialis, aditum videlicet regni celorum et frustra in tantum inspias meditare. Hoc autem dico nos experientia aliquando cognovisse quosdam qui hiis qui pane corporis et vino sanguinis domini non curaverunt dum viverent confortari in accidia cordis omnibus diebus vite sue desidiose vixerunt: et in extrema corporis sui debilitate, hoc est in morte, non fuerunt digni inveniri sacro viatico confortari. O si nunc nostre debilitate et infirmitate. O si peregrinationis nostre periculosam pluralitatem vellemus attendere quanta aviditate sacrosanctum viaticum nobis in tanta caritate relictum percipere studeremus: quia plurimum videretur nobis omne tempus quo nos a tali viatico contingeret separari. Sed quia non nos metipsos vere miseros, nec te misericordem salvatorem nostrum agnoscimus, in nostris pravis consuetudinibus magis quam in te dulcissime delectati: amamus miseri famem nostram, et in nostris defectibus requiescimus insensati

Quintus effectus sacre communionis est leticia spiritualis. Congruus ordo processus. Sumitur christus sub duplici specie panis et vini. Panis ad confortationem de qua dictum est. Vinum pertinet ad leticiam de qua dicendum est. Unde ambrosius dicit: Manducavi panem meum cum melle meo. Vides quod in pane nulla sit amaritudo: sed omnis suavitas sit. Bibi vinum cum lacte meo. Vides huiusmodi leticiam esse que nullis peccatorum sordibus polluatur: quia puritatem mundicie et candorem lactis significat. Quocienscumque enim bibis remissionem accipis: et inebriaris in spiritu. Unde et apostolus ait: Nolite inebriari vino: sed implemini spiritu sancto. Vino enim qui inebriatur vacillat et trepidat. Spiritu qui inebriatur radicatur in christo. Et ideo preclara ebrietas que sobrietatem mentis operatur: et ebriosam delectationem extinguit. De hac ebrietate dicitur: Et calix tuus domine inebrians quam preclarus est. Vidimus quosdam quosdam etiam ad huc dum ista scribimus in hac vita viventes agnoscimus, qui huius veri panis fortitudine et huius veri vini letificatione ita inebriati sunt, dum te ipsum domine ihesu fortitudo et gaudium meum in sacramento panis et vini perciperent ad altare, ut toto illo die panem materialem et consolationem corporalis potus non haberent necesse requirere. Data enim sicera merentibus potum suum et miserias suas. vino letitie hii qui amaro erant animo, quia differebantur a regno et … dulcedine tua deus: biberunt et obliti sunt egestatis

~~Perg. 4°. 184 bl., rothe Initialen~~

Perg. Höhe 8'' 7''' Breite 6'' 2''' Folien 184.

Bernardi abbatis opuscula varia. Incipit sermo b. Bernardi de sacra-
fol. 1. mento. „Tractatus est dignus lectui, non tamen videtur Bernardi Clarevallensis" hat eine spätere Hand am Rande bemerkt. Die Abhandlung ist in sechs gradus (Stufen zur Vorbereitung) und 12 effectus eingetheilt; neben dem Texte des 4ten gradus, welcher de mundicia mentis et corporis handelt, steht hin und wieder von späterer Hand: non lege! Der Verfasser spricht in diesen Stellen von einer Üppigkeit die man aber nicht zum Sündhaften zählen möchte obgleich sie dahin führt, z. B. vom öftern Baden, Waschen und Salben der Haut, zur bloßen Wollust oder Eitelkeit; von überzarter Leinwand zur Bekleidung, überweichen Bettkissen u. s. w.

sue. Flet mihi. Dedisti enim eis domine deus agnoscere et sapere quia vinum illud in tor-
culari crucis fuit expressum de illo botro cypri. vinum rubicundum. vinum inebri-
ans. vinum omnium laborum et dolorum oblivionem inducens. consolationem adducens.
Sentiunt leticiam consolationis tue domine illi. dum comedunt panem tuum. et vinum
tuum bibunt. Illi qui nullam consolationem recipiunt in vita domine. qui non huius mundi
honoribus. non divitiis. non delitiis delectantur. qui cottidie plorant in sinu tuo: et
gemitus turturis ob. et querelas columbinas effundunt. Pauperes tui sunt
hij qui habent cor receptibile consolationis spiritualis. Quomodo in corde plena
vanis gaudiis plena vanis doloribus verum gaudium possit intrare? Habe-
ant miseri leticias miserabiles in luctibus terminandas: sciunt pij gaudere
et letari pia leticia cum pio. de pio impio ihesu. **Sextus effectus sacramenti**

Sextus effectus est quod pro digne communicantibus largiter fiat. Hoc enim docet ipsa sacra-
mentationis institutio. unde nunc pro summis ecclesie membris. nunc pro fidelibus. nunc pro
vivis. nunc pro defunctis oratur: nunc petitur ut sanctum sacrificium sanctis proficiat ad honorem.
peccatoribus ad veniam: purgandis ad redemptionem et nullus prorsus ad salutem nostre par-
ticipatione orationum sacerdotis remanet alienus. Nam ut ait basilius. cum quis pro
omni civitate. quid autem dico civitate. immo pro omni mundo legationem fundit et de-
precatur iniquitatibus omnium dominum propitium fieri. non solum viventium sed etiam mortuo-
rum: qualem putatis esse debere? Ego quidem de moyse et elya confidenciam habuit non
puto supplicationem posse sufficere. Sicut enim ipse tamquam sit commissus univer-
sus mundus. et ipse sit pater omnium ita accedit ad deum. ob secundis extingui querendo
universa pugnarum: dissipari tumultus. petitur omnia. Et beatus ambrosius lar-
gitatem pij cordis qua domino minime consentiens ostendens: et omnium in se
causam suscipiens. Ego inquit memor venerande passionis tue domine accedo
ad altare tuum. ut offeram tibi de donis tuis quod tu ipse instituisti. et offerre
tue maiestati precepisti in commemoratione tua pro salute mea. Suscipe ergo
illud summe deus pro ecclesia tua sancta et populo tuo quem acquisisti sanguine tuo. et
quoniam me peccatorem indignum inter te et eundem populum medium esse voluisti: li-
cet in me boni operis testimonium non agnoscas. officium saltem dispensatio-
nis credite non recuses. Nam per me indignum salutis eorum peccatorum precium pro
quibus filius victima salutaris dignatus es esse redemptio. Profero quod fidei //

neris, perpetuus intueri tribulaciones plebium, pericula populorum, gemitus capti
vorum, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperatio
nes languencium, defectus senum, suspiria iuvenum, vota virginum, lamenta
viduarum, fatigaciones temptatorum. Tu enim misereris omnium et nichil odisti
eorum que fecisti. Vides nunc quante largitatis fuerit iste beatus, qui communicatu
rus vel communicans ad altare sacris suis misteriis multorum miserias
domino in commendatas reliquit. Sic et tu communicans, talem obsecro largitatem
assume omni caritatis visceribus, undique complectere omnes tecum salvari desi
derans, ut possis dicere: si buccellam meam comedi solus, et non comedit pupillus ex ea.

Septimus sacre communionis effectus est augmentacio virtutum. septimus
Sicut enim dominus solus venit ad esum agni paschalis, sed cum discipulos suos
secum duxit. Quid autem per numerum discipulorum nisi turba virtutum signatur? Secuti
sunt nimirum dominum virtutum, cumque intraverit, Simon portitor aque, id est penitencia la
crimas eliciens, et duo discipuli, id est caritas dei et proximi, domino preparaverunt
locum illum, id est cor tuum, ut sit cenaculum grande stratum. Cenaculum in quo elevatum alciora
celestia desiderans et cenam in qua dominus Ihesus cenare dignetur. Ego sto
in ostio ad hostium et pulso; si quis aperuerit michi ianuam, intrabo ad illum
et cenabo cum illo et ipse mecum. Sit et grande in longitudine per pacienciam
et longanimitatem et in latitudine per caritatem, tam in inimicos quam amicos
complectentem. Sit stratum per equalitatem humilitatis et pulvillos mansue
tudinis. In tale domum ipse agnus paschalis venire dignatur, in tali domo
recipi et comedi delectatur. Sicut enim ex corporali cibo vires corporis crescunt
et multiplicantur, ita ex cibo spirituali virtutes spirituales augmentantur. Cum enim
Christus sit caritas, quomodo Christo intrante ad animam et se cum anima unum faciente
caritas non augmentaretur in anima? Similiter quia Christus est pax, misericordia,
paciencia, humilitas, bonitas, ceteraque virtutes, immo dominus et creator virtutum,
ipso in habitaculum cordis intrante, ipse tamquam sponsus largissimus sponse sue
confert totum quod habet, immo quod totum est, ita ut de munere sponsi fiat ipsa spon
sa particeps caritatis et pacis, misericordie et paciencie ceterarumque virtutum ipsius;
sed et virtutes sui generis ex coniunctione sponsi cum sponsa accipiant incrementum,
ita ut amans fiat amancior, paciens paciencior, humilis humilior, et nulla

nota bene

cenaculum elevatum grande stratum

nota diligenter

omnino verius permaneat que ad introitum domini virtutum in multiplicatione non accipiat

Octavus communionis effectus est vivificacio et augmentum. Octavus effectus

Ego sum panis vivus qui de celo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane vivet in eternum. Et iterum: Sicut misit me vivens pater et ego vivo propter patrem: et qui manducat me et ipse vivet propter me. Unde Augustinus: Loquitur nobis dominus de corpore et sanguine suo; quorum escam dominus dixit esse corpus suum et sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles: audientes autem ipsi aliquid quam audiunt. Cum ergo commendans tale escam et talem potum dixisset nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis: et hoc dicere vita quod alius proferret nisi ipsa vita. Erit autem illi homini mors non vita qui mendacem putaverit vitam. Cum ergo scandalizati essent discipuli durus est hic sermo quis potest eum audire respondit dominus: Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Putatis quia de hoc corpore quod videtis partes facturus sum et daturus vobis? Certe qui integer ascendere potuit: consumi non potuit. Ergo de corpore et sanguine suo dabat nobis salubrem refectionem; et tam magnam breviter solvit de sua integritate questionem. Manducent ergo qui manducant et bibant qui bibunt. esuriant et siciant vitam manducant vitam bibant. Illud manducare est refici. Sed sic reficeris ut deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est nisi vivere? Manduca vitam. bibe vitam: habe vitam et integra est vita. Tunc autem hoc erit et vita uniuscuiusque corpus et sanguis Christi si quod in sacramento visibiliter sumitur in ipsa veritate spiritualiter manducetur. Audivimus enim ipsum dominum dicentem: Spiritus est qui vivificat. caro non prodest quicquam. Quod enim caro prodesset? si caro dei non esset. Deus ergo in homine manens ipse vivificat nos. nunc ad vitam gracie. ut manducantes eum vivamus iuste: postea vero vivificabit nos ad vitam glorie. ut manducantes eum qui est panis vite vivamus in eternum.

Nonus effectus sacramenti.

Nonus sacre communionis effectus est illuminatio ad cognitionem dei et sui metipsius. Ipse enim cuius corpori communicamus ipse est lux vera que illuminat omnem hominem suo corpori et sanguini digne communicantem. Unde patet videmus quod qui nolunt sepius sacram communionem accipere. vel qui indigne accipiunt honorem suum non intelligentes. comparantur iumentis insipientibus. et

nō exemplū

similes illis sunt: et sunt sicut equus et mulus quibus non est intellectus. Quod etiam ad
litteram fuit fuisse ob hanc causam in vitis patrum tali relacione docetur. Iuvenis
quidam feminam adamabat: quam cum potiri non posset: quesivit consilium demonis.
Cui ait. Ego illam formam in duam equinam et cum eiecta fuerit a viro suo, tu illam
recipies et ei iungeris. Mutata igitur muliere ita ut equa omnium oculis videretur
non abiecit eam vir: sed fune collo eius circumdato: duxit eam ad oratoria diversorum
sanctorum. Sed nichil profecit. Tandem monitu amicorum suorum: duxit eam ad beatum Ma
charium qui adhuc eo tempore morabatur in heremo. Cumque discipuli eius viderent
virum ut putabant equam ducentem: admirantes dixerunt viro dei. Ecce vir
ducens equam. Ait ille ego mulierem non equam video vos equis similes estis: quibus
mulier equa videtur. Cumque vir ille causam sui indicasset adventus peteretque
suffragium: statim vir oratione facta forme humane restituit mulierem. Inter
rogans quare illam que diabolo talem dederit in se potestatem, causam etiam indicavit.
Quoniam in te potuit diabolus operari, quia ad communicandum corpori et sangui
ni domini nostri Ihesu Christi accedere non curasti. Quod si formam hominis in anima et in corpore vis
retinere, sepius vivificis communica sacramentis. Heu quot multi bestiales for
mas in animo commutantur et obscuratur insipiens cor eorum. Domine tibi o verum lumen celi
lum et terram et angelos et homines illuminans in sacro corpore et sanguine tuo
tam tuis annuis communicare non curant. Inde ambicio seculi et diviciarum ap
petitus, luxuria corporalis et deliciarum consuetudo: invidiaque et odium sancte humi
litati paupertatis amori mundicie castitatis et sobrietati. Sanctissime caritati
et spiritualibus laboribus ex toto racionis lumine et virtutis preferuntur. Experiencia
namque cognoscimus quod hii qui ad te domine Ihesu Christe accedere consueverunt ut te in
sacramentis tuis communicent, ita de die in diem illuminantur, ut omnia presencia despi
ciant eterna desiderent insidias diaboli per tuam illuminacionem cognoscant et quicquid
ad racionem et virtutem pertinet non ignorent. Verum non dixit ille qui dixit: accedite ad eum
et illuminamini. Itemque gustate et videte quoniam suavis est dominus. Si enim ad
dominum lumen verum accesseritis non illuminabimini ut videatis virtutem de vobis
metipsis, de proximis, de temporalibus, de eternis: non gustaveritis non videbitis
quoniam suavis est dominus. Nos ergo per lumine aut iure debemus potissimum a vo
mediante non gravioribus accedere ipsumque gustare. Decimus effectus

nō

Decimus communionis effectus est pax cordis quam operatur in nobis ille qui etiam post resurrectionem suam corpus suum discipulis videndum et contrectandum offerret dixit: pax vobis. Quod in auribus corporalibus foris, sed non sine misterio loquebatur discipulis, sed nunc in auribus cordis discipulis suis, id est amatoribus suis, cum ipsum eundem qui vis in sacramento panis et vini ad altare susceperint, intus loquitur cum effectu. Effectus enim huius vocis pax nobis est ille cum pace sua pacem veram, qua ipsi deo nostro et proximo copulamur, cordibus communicantium ut pacificus noster infundit. Non autem hoc intendo dicere quod communicantes remissi fiant ad exercicium discipline ad corripiendos inquietos cum spiritu lenitatis, propter hoc quod agnus sit figuratus datus, ut cum ipse in nos advenerit zelum nos faciat discipline exercere. Et ipse dominus noster agnus mitissimus de se dicit: Quoniam propter te sustinui obprobrium, operuit confusio faciem meam ab eis. Sic ergo pacem studeamus habere ne deseramus rigorem discipline, sic primum corrigamus exterius ne pacis mansuetudinem deseramus. Operatur utrumque mirabiliter eucharistia digne sumpta et tam in quiete quam in bello pacem mansuetudinis custodit. Flet mirum. Si enim cibus vadens in corpus, quod dicitur, quando cum ad hunc rem inviant irascuntur et sumptus fierent mitiores facit, quanto magis cibus ille spiritualis, panis supersubstancialis, panis verus, panis vivus pacificat et mitescere facit animam se sumentem. Mirabiliter dulcem senciunt hanc pacificationem filii dei, qui communicantes vero filio dei sunt filii dei. In mira in se dulcedine senciunt istum sacre communionis effectum, ut a proposito a pacis interne stabilitate non possint avelli. Irascuntur quidem aliquando pro deo et propter predicacionem nimis, sed mites sunt, senciunt foris per increpaciones, sed intus diligunt increpatos, quia a fructu frumenti vini divini saciati in pace in idipsum dormiunt et requiescunt.

Nota

Undecimus effectus

Undecimus communionis effectus est sapor spiritualis. Quis precius est iste sapor? Ut puto delicacies ciborum spiritualium. Omnes autem virtutes cibi mentis sunt. Delectabiliores cibus humilitas, caritas, paciencia, misericordia, castitas. Enumerat autem apostolus hunc cibum spiritus in dicens: Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax, misericordia, paciencia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continencia, castitas. Quam multi sunt quibus fructus iste non sapit. Habent enim sicut ait apostolus unusquisque cenam suam quod est cuiuscumque delectacio quam preponit cene domini ad manducandum. Sed pauperes spiritu qui cene domini nullam cenam preponunt, in

fructu spiritus delectantur sapore spiritus qui in spirituali cibo corporis et sanguinis restitutur. Vide
queso eos quibus panis angelorum id est qui non delectantur communicare corpori et sangui
ni domini: ipsum etiam omnem escam abhominetur anima eorum id est nulla virtute delectentur, ita
ut etiam appropinquent usque ad portas mortis. Ultimam in firmitatem suam recognos
cant et clament ad dominum et accipiant verbum dei filium dei dominum ihesum christum: co
municent corpori et sanguini ut satientur ab effimera anime que contra tibi sapi
tum fuit in sapidum reddit. Commedant verum panem qui de celo descendit
habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis. Epulentur in gaudio
et exultent in conspectu dei: et delectentur in leticia. Audiant et sapientiam ad divinum
eos convivium invitantem. Audite inquit audientes me et commedite bonum et de
lectabitur in crassitudine anima vestra: et feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias
david fideles. Hic est id est panis quem parasti in dulcedine tua pauperi deus: et quam
magna multitudo dulcedinis tue quam abscondisti timentibus te: perfecisti eis
qui sperant in te domine. Communicemus ergo orantes cum beato ambrosio. Panis dulcissime
habens omne delectamentum et omnem saporem suavitatis qui nos semper reficis et in te nunquam
deficis: commedat te cor meum et dulcedine saporis tui repleantur viscera anime
mee. ut dum te solum et vere dulcem gustabo reformato palato anime mee ... ad
dulcedinem spiritus pertinet valeam persentire

Duodecimus et summus et optimus sacre communionis effectus est communio sive
unitas qua deo coniungimur et unimur. Quis enim in tota mortis ad istam unita
tis coniunctionem non toto corde suspiret. Quis non exultet in gaudio inenarrabili et
extra semetipsum exiliat et saliat totus in deum. cum audiat dominum dicentem qui man
ducat carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet et ego in eo.
Hylarius. Etenim ipsi dominum professione et fide caro mea est vere et vere sanguis.
et hec accepta atque hausta id faciunt ut nos in christo et christus in nobis sit. An nec hec
veritas non est. Contingat plane hiis vere non esse: qui christum verum esse
deum denegant. est ergo in nobis ipse per carnem. et sumus in eo dum secum hoc quod
nos sumus in deo est. Item post pauca. Hec ergo vite nostre causa est quod in nobis car
nalibus per carnem christum manentem habemus: victuris nobis per eum ea con
dicione qua vivit ille per patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum
vivimus id est naturam sue carnis sumus adepti: quomodo non naturaliter

sedm spm in se patre habeat cu viuat ipe p patre. Ite. Si verbu
ve caro fcm e et nos ve vbu carne fcm cibo dnico sumimus quomo
n natalr mane i nobis existimandus e. q et natam tunc carnis ia in
sepabile e ho natus assumpsit. et natam sue carnis ad natam diui
nitatis ethe sub sacramento nobis comunicando carnis admiscuit.
Ita enim omes i deo sumus: q et i xpo pater e. et xps i nobis e. Si ei vere
carne corpis nri xps assumpsit et ve ille ho qui ex maria natus est xps fuit
nosqz ve sub misterio carne sui corpis sumimus. etiam p hoc vnu erim
mus: qr pat i illo e et ille i nobis. De ista etia vnitate qua deo i parti
cipatione sac sci corpis et sanguinis ipius vnimur: itelligi pt illud
augustini. In vem i qt me i regione dissilitudis: tamqm audire vo
ce dei de ex celsso. Cibus sum grandiu. cresce et manducabis me.
n tu me mutabis i te. sic cibu carnis tue. sz tu mutaberis i me. O qm
felix qm desiderabilr qm potens cibz q homine comedente se i dm ipm
z cibz ipe comutat. Et bts ambrosius. qnta i qt cordis ptione et lac
max fonte. qnta reverentia et timore diuinu illud et celeste sacrificiu
e celebrandu. dne v caro tua i veritate sumitr. v sanguis tuus i veri
tate bibitr. vbi pma sumus coniucti. Quod tn pmu qm peccor ho
e. Id tn sumu q dos. Et ecce i comunione sac altaris ho peccor deo vnitr
et coniugitr mediante mediatore dei et hominu. hoie xpo ihu. Ite. Rogo mediatore
te dne p ipm sacsm et viuificat corpus et sanguis tui misteriu
quo cottidie i ecclia abluimur pascimur et potamur et scificamur: atqz
vnius sume diuinitatis participes efficimur. da m v tutes tuas scis
z [illegible] gregorius debemus i qt deo cottidiana sacrificia lacrimar. cot
tidianas qm illius eius et sanguinis hostias immolare. Hec namqz 4 c xvi b
singularis victima ab iteritu eterno aiam saluat: q nobis vnigeniti
mortem p misteriu reparat. Qui licz surgens a mortuis ia no
moritr. et mors illi vltra n dnabitr. tn i se ipo i mortalr atqz i corrup
tibilr viuens i hoc misterio sacre oblacionis p nobis itm i molatr. Eius
quippe corpus ibi sumitr. eius caro i ppli salute partitr: eius sanguis
no ia i manus i fidelium sz i ora fideliu funditr. Hic ergo pensemus quale

sit sacrificium quod pro absolucione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur.
Quis enim fidelium dubium habere possit: in ipsa immolacionis hora ad sacerdotis vo-
cem celos aperiri in illo ihesu christi misterio angelorum choros adesse: summa et ima socia-
ri. terrena celestibus iungi: unum ex visibilibus atque invisibilibus fieri. Ad hanc beatis-
simam unitatem viribus totis anime suspiremus ad sacratissimam communionem dominici
corporis et sanguinis cottidie festinemus: et nos frustra et in vanum nos illo die
vixisse estimemus quo ad communionem sacramenti non accesserimus vel saltem sacris
missarum solempniis neglexerimus interesse. Hoc autem in fine libelli sive operis duxi
necessarium apponendum. quod tamen quidam sunt qui sepius communicare desiderent. quidam
vero sepius abstinent ita utrique se habeant ut qui manducant non manducantem non
spernat: et qui non manducant manducantem non iudicet. Qui enim xpm frequenter iudicat
et ob hoc cum in domum cordis sui et corporis recipit sit sicut zacheus qui xpm recepit
gaudens: et divicias suas in optimos usus convertit. Qui vero abstinent a communio-
ne sepius putant sint imitatores illius centurionis qui domino ad domum illius volen-
ti intrare dixit. domine non sum dignus ut intres sub tectum meum. Cum accedunt ad alta-
re dei delectentur sperando. amando. desiderando. et non accedentes non contempne-
do attendant qui longe se faciunt se ipsos indignos iudicando se humiliando
se ipsos lamentando et accedentes non iudicando ad tempus abstineant. et
ita vivant ut citius communicare mereantur. Caveant autem accedentes ne irre-
verenter accedant. caveant abstinentes ne negligenter abstineant. sed tamen absti-
nentes quam communicantes spiritualiter communicare contendant. ut sint sanctifi-
cati in veritate: ut impleatur in omnibus peticio christi dicentis ad patrem. Pater rogo ut
omnes unum sint. sicut tu pater in me et ego in te: ut et ipsi in nobis unum sint.
ut omnes sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis et tu in me: et sint
consummati in unum. Et tuam unitatis consummacionem utinam consequamur: commu-
nicantes tibi o dulcissime domine ihesu. Amen.

nota

Hic doctrinam salubrem de communicantibus non communicantibus

de accedentibus non accedentibus ad altare

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF